Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2307
Quelle:
Copyright:

pertinet, 4. *Coloniensem Henr. Quentell* 1493. 4. *Augustanam Job. Schönsperger* 1497. 4. *Daventriensem Rich. Paffroed.* s. a. 4.

IV. *fol* 62. *Annei Senecae Prouerbia.* Initium: *Alienum est omne quicquid optando euenit.* Meminit horum Proverbiorum *Othlonus* Monach. *Emeram.* jam Sec. XI. in *Prologo* suorum *Proverbiorum* T. III. *Thes. Anecd. Bern. Pezii P. 2. col.* 485. sub *Senecae* nomine. In *Catal. Codd. Mss. Univ. Cantabrig.* p. 110. *n.* 762. memorantur Carminibus reddita per *Ebrardum*, qui, an *Bethuniensis* sit Sec. XII. non ignotus Versifex, nescio. Non semel item *Senecae* tributa sunt in editionibus sub Typographiae initia curatis. Interea tamen viri doctissimi *Henr. Stephanus*, *Jos. Scaliger*, *Jan. Gruterus*, alii *D. Laberio* et *Publio Syro*, admixtis *Senecae* et fortassis aliorum quorundam Sententiis adsignant. Itaque sic extant in edit. *Stephani* 1564. 8. et quidem jam ad certa Capita revocata, cum in edit. *Paris.* apud *Dion. Duvallium* 1589. 8. inter *Epigrammata et Poematia Vetera* p. 9. ordine alphabetico, ut in *Cod.* nostro, legantur. At vero quanta in his diversitas! Dum enim *Stephanus* Sententias censet CCIX. in edit. *Paris.* leguntur CCCLXXIX. in nostro vero *Cod.* CCCCXIII. Neque numeri tantum, sed ipsarum etiam Sententiarum mira est differentia, idque maxime post medium; Ita ex. caussa litera R. in edit. *Paris.* numerat Sententias IV. in *Cod.* XIII. atque in his unica utrique communis est, illa videlicet: *Ridiculum est odio nocentis Innocentiam perdere.* Ut adeo manifestum sit, varia variis temporibus variorum industria ad hanc Γνωμολογιαν accessisse, aut ab ea refecta fuisse. Finis illius in Codice: *Zelari autem hominibus uitiosum est. Explicatum Annei Senece Prouerbia.* Et novo Librarii errore: *Finit Synonima Ciceronis*, de quo spurio *Tullii* Libello ne vestigium quidem hic. Sequuntur enim

V. *fol.* 70. *Senecae et Pauli Epistolae* ἀμοιβαιαι, et ipsae, ut notum, spuriae. Praeit ἀνεπιγραφος *Caput* XII. Libri *Hieronymi de Vir. illustr.* quod de *Seneca* agit, et in quo hic *fotini* pro *Sotionis* Discipulus dicitur. Ad calcem: *Explicit Hieronimi Presbiteri.* Deinceps *Epistolae* numero tantum XII. cum desint ultimae duae. Praeterea *Epistolae*, quae in *Fabricii Cod. Apocr. N. T.* T. II. p. 900. XI. et XII. sunt, hic invertuntur. Textus ipse admodum improbe scriptus vix unam alteramve lectionem *Fabriciana* meliorem subpeditat. *Epist.* III. verbis illis de Caesare: *Si modo sors prospere annuerit — eris forsan et tu praesens*, non male interponitur: *ut nouas aures adferat.* De toto hoc Epistolari Commercio dixi jam ad *Cod.* CCLXXVII.

VI. *fol.* 73. *Incipiunt Sententiae De Jesu Filio Sirahc Excerpte.* Ineunt juxta interpretationem